

Michael Weber


**Rector Academiae Vitebergicae Michael Webers Scripturae S. Doctor  
Theologiae Professor Publicus Ordinarius Stipendiatorum Elect. Ephorus Ordinis  
Svi H. T. Decanus Ad Memoriam Nativitatis Christi A. MDCCXCII Rite  
Concelebrandam Invitat : De discrimine legitime et bene, recte et honeste  
factorum, in libris N. T. proposito, vulgo neglecto**

Vitebergae: Litteris Caroli Christiani Dürrii, [1792?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862371139>

Druck Freier  Zugang





87

*Fa 1092 (87.)*

A. M. Synonymum  
Rostock im Jun. 1815.

Dissertationes

- 1, De veris bonarum artium literarumque incrementis ex libertate publica, Oratio, Dieta a Chr. Gottl. Heyne. Göttingen 1763.
- 2, Dissertatio historico-theologica de locis theologicis, col. lectos ex Leonid magno pontifice romano scriptis. Auctor Joh. Jac. Griesbach Halae 1768.
- 3, De fide historica ex ipsa rerum, quae narrantur natura, judicanda. Auctor. Joh. Jac. Griesbach Halae 1768. -
- 4, Orationem Augustanae confessionis memoriae ex instituto Lynkeniano ipsa Cal. Octobr. 1791 habendam, indicat Chr. Godofr. Schütz, prof. ord. Senae.
- 5, quod. scilicet altera
- 6, Oratio in anniversariis inaugurationis sacrae academiae Georgicae Augustae, habita a Chr. G. Heyne, prof. eloq. Göttingae 1776.
- 7, Observationes nonnullae ad historiam dogmaticam de spiritu sancto a Joh. Georg Cosenmüllero Erlangae.
- 8, De theologiae christianae origine, Dissertatio Joan. Georg. Cosenmülleri, Lipsiae. -

- 9, Ab lauro, dissertatio de accommodatōne  
Christi in primis & apostolicis tribula  
Lipsiae, 1793.
- 10, Dr. Joan. Guil. Rad P. P. O. de  
Joannis baptistae in rem christianam  
studiis. Sectio I. Erlangae
- 11, Sectio II.
- 12, Dr. Georg. Friedr. Seiler summo in theologia  
honores in virum gen. et mas. reo Gottl.  
August de Haenerner rite collatos indec.  
Erlangae, 1792.
- 13, De vaticinationum causis atque finibus, Dissert.  
Dr. Seiler. Erlangae.
- 14, Sectio II.
- 15, Dr. Ammon, brevis argumenti: pro summi  
numinis existentia recognitionis. Pars prior, Erlangae
- 16, Pars II.
- 17, Dr. Seiler summo in theol. hon. in Mag. Haenlein  
rite conferendos indec. Erlangae 1795.
- 18, Michael Weber, prof. ord. de discrimine legitime et  
licite, recte et honesto factorum in libris N. T.  
proposito, vulgo neglecto.
- 19, Michael Weber ad memoriam resurrectionis Christi,  
rite celebrandam invitatur, 1793.
- 20, Memoriam natalitatis Jesu Christi que recollenda  
vobis commendat a academia Jenensis, 1794.
- 21, Part. II. 22, Part. III.
- 22, Commentatio de consilio, quo scriptor in act.  
apost. concinnandis ductus fuerit, Jenae 1818.
- 23, De verbis Christi et notione de adventu  
Christi in N. T. obiter in primis. Jesu vate  
cino Matth. 24 a Tychsen Gottingae 1785

Josephus Juley

18.

R E C T O R

ACADEMIAE VITEBERGICAE

MICHAEL WEBERVS

SCRIPTVRAE S. DOCTOR THEOLOGIAE

PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

STIPENDIATORVM ELECT. EPHORVS

ORDINIS SVI H. T. DECANVS

A D M E M O R I A M

NATIVITATIS CHRISTI

A. MDCCCXCII

R I T E C O N C E L E B R A N D A M

I N V I T A T.

---

*De discrimine legitime et bene, recte et honeste factorum,*

*in libris N. T. proposito, vulgo neglecto.*

---

35  
31  
24  
2  
2  
2  
14  
18



De discrimine legitime et bene, recte et honeste factorum,  
in libris N. T. proposito, vulgo neglecto.

Quo magis perspicue discrimen legitime et bene, recte et honeste factorum, (ἐργων νόμου καὶ ἐργων ἀγαθῶν, τῶν ἐν δικαιοσύνη καὶ καλῶν) in libris N. T. propositum est, quoue maiorem habet vim atque vtilitatem in pluribus doctrinae christianae locis: eo magis mirandum videtur, *Doctissimi Ciues*, quod ab antiquioribus pariter atque recentioribus Theologis parum animaduersum sit, et legitime facta cum bene factis, bene facta cum legitime factis vel permutari soleant, vel minus recte alia ab aliis discerni. *Gerhardus* nominatim, Theologus non contemnendus, legitime facta (opera legis) plane confundit cum bene factis (bonis operibus). In loco enim de *bonis operibus* statim ab initio, vbi locutiones synonymicas enarrat, bona opera dici quoque ait *opera legis* Rom. III, 28. Gal. II, 16. et *iustitiam ex lege* Phil. III, 9. Vberius mentem declarat in loco de *poenitentia*. „Opera legis, inquit, dupliciter accipiuntur: vel pro externis qualibuscunque operibus sine gratia et spiritu factis, vel pro *renatorum operibus ex Spiritus S. operatione profectis* (bonis operibus), quae itidem *opera legis* dicuntur, *cum norma eorum sit lex diuina*.“ In loco de *iustificatione* eandem sententiam copiosius exponit, ita concludens: „Vbicunque absolute et simpliciter opera a iustificatione excluduntur, ibi etiam *renatorum opera* (bona opera iustificationem sequentia) exclusa intelliguntur. Atqui etc. Ergo etc. — Omnia *opera legis* ab actu iustificationis excluduntur. Atqui *renatorum opera* (bona opera) sunt *opera legis*, quia Spiritus S. renatis proponit legem tanquam normam bonorum operum. Ergo etc.“ — Simili de causa *Doederleinius*, vir doctus in primis, in *Instit. Theol. christ.* in capitibus rel. theor. P. II, p. 562. ἐργα ἀγαθὰ actiones legitimas



timas vocat, quippe quae legis diuinae praescripto (vtor ipsius verbis) consonae reperiantur: nam ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ s. ἔργων ἀγαθῶν, cui Paulus Rom. II, 7. aeterna praemia promittit, continuum dicit esse actionum legitimarum studium. Quamquam vero haec ex parte cum Gerhar- do consentit; tamen ἔργα νόμου et ἔργα ἀγαθῶν non confundit, immo illa ab his distinguit. „Iacobus, inquit, bona opera simpliciter ἔργα vocat, a quibus valde diuersa videntur ἔργα νόμου (recte; at ipsa diuersitas quaenam est?) instituta disciplinae Mosaicae, contra quae Paulus grauiter suos praemonet. Rom. III, 20. Gal. II, 16.“ Quae quidem discernendi ratio, non noua, sed antiquissima, etsi plerisque nostrae aetatis Theolo- gis vnice probatur; mihi tamen, quod ingenue profiteri liceat, non pla- cet, immo falsa habetur, mentique Pauli plane contraria. Quae omnia animo cum perpenderem, opiniononesque Theologorum, tum antiquio- rum, tum recentiorum, de legitime et bene factis minus recte se habere cognoscerem: operae pretium visum est, factorum vtriusque generis dis- crimem, diligentiore significatum nominis ἔργων disquisitione prae- missa, paullo accuratius exponere, eiusque vsum sacrarum litterarum cultoribus vehementer commendare.

Ἔργα in libris N. T. duplici modo dicuntur, partim de factis s. actionibus, partim de effectis s. operibus agendo productis. Prior mo- dus est frequentissimus, qui vero et ipse habet aliquam varietatem. Di- cuntur enim ἔργα, vbi facta s. actiones intelliguntur, vel latissime, vel angustius, vel angustissime. Vbi latissime dicuntur, non modo eae cogi- tandae sunt actiones, quae praecipue actionum nomine appellantur, a sermonibus et cogitationibus, a verbis et consiliis, ab orationibus et iu- diciis distinctae, sed comprehendi debent omnia ea, quae fiunt a natura intelligente, siue solius animi agitatione, siue linguae motu et vocis in- teruentu, siue manuum aliarumque corporis partium vfu. Sic Ioh. VIII, 39—41. ἔργα Ἀβραάμ et ἔργα τοῦ διαβόλου. Quemadmodum virtus Abrahami non tantum fuit exterior, sed etiam interior: ita diaboli malitia cum interior est, tum exterior. Vnde etiam studium occidendi Iesum, quod in Iudaeorum animis erat, ἔργοις adnumeratur. Sic Rom. II, 6. ἀποδώσει ἕκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Cum enim ipse Paulus I Cor. IV, 5. nominatim profiteatur, Dominum, iudicem omniscium, rationem quoque habiturum esse consiliorum animi, et superiore loco v. 8. etiam τὸ ἀπειθεῖν τῇ ἀληθείᾳ inter ἔργα referat: profecto dubi- tari

tari



tari nequit, quin verbum *ἔργων* latissimo significato adhibuerit. — Vbi *ἔργα* *strictius* dicuntur, exclusis actionibus interioribus, intelligendae sunt actiones exteriores, partim eae, quae sunt linguae instrumento et vocis vi, partim illae, quae aliorum corporis membrorum opera exercentur. (Cfr. Cic. de Offic. I, 5. vbi verbum *actionis* eodem modo vsurpatur. „Adhibenda est *actio* quaedam, i. e. dictum et factum, non solum mentis agitatio.“) Sic Matth. XXIII, 5. πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν ποιῶσι, πρὸς τὸ θεαθῆναι ταῖς ἀνθρώποις coll. VI, 5. ex quo patet, consuetudinem precum formulas recitandi vt *ἔργον* spectari. Ioh. III, 20. 21. ἵνα μὴ ἐλεγχθῆ τὰ ἔργα αὐτοῦ — ἵνα φανερωθῆ αὐτοῦ τὰ ἔργα. Dominum de actionibus exterioribus loqui, ipse verborum nexus docet: de actionibus enim interioribus, quae ab aliorum sensibus remotae sunt, iudicare aliis non licet. — Vbi denique *strictissime* dicuntur *ἔργα*, eae tantum actiones insigniuntur, quae plerumque appellantur, quae a manibus proficiscuntur aliisque corporis membris, quas germanica consuetudo *Handlungen* dicit, verbo ducto a manibus, quarum in agendo praecipuus est vsus. (Cfr. Cic. de Offic. I, 4. vbi distinguit *consilia*, *opinionēs*, et *dicta a factis*, item *cogitare*, *sentire*, *dicere*, *facere*.) Sic Marc. XIII, 34. δὸς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, καὶ ἐκάστω τὸ ἔργον αὐτοῦ. Col. III, 17. πᾶν, ὃ, τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ. Quamquam secundum hunc ipsum locum τὸ λέγειν etiam est *ποίησις* et *ἔργον*; tamen *λόγος* et *ἔργον* distinguitur. — Hic igitur est prior modus, quo *ἔργα* in N. T. de factis s. actionibus vel *latissime*, vel *strictius*, vel *strictissime* dicuntur. — Deinde verò etiam ipsa *effecta* s. opera agendo producta *ἔργα* nominari adnotauimus. Quo posteriore modo et si ad rem nostram vti non possumus; tamen, vt tirones vsum verbi *ἔργων* vniuersum animo complectantur, hunc etiam exemplis nonnullis illustrare liceat. Occurrunt primo *ἔργα Θεοῦ*, quae Rom. I, 20. *ποιήματα* dicuntur. Sic Hebr. I, 10. *coeli ἔργα τῶν χειρῶν τοῦ Θεοῦ*. — III, 9. εἶδόν τὰ ἔργα μου, viderunt *opera* mea, non: *actiones*. Non viderunt *ταῖς ποιήσεις τοῦ Θεοῦ*, s. τὸ ποιεῖν, sed τὰ *ποιήματα*, τὰ *πεποιημένα*. — Deinde occurrunt *ἔργα Χριστοῦ*. Sic Matth. XI, 2. ἀκούσας τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ. Ioh. V, 36. αὐτὰ τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ. — Denique occurrunt *ἔργα τῶν ἀνθρώπων*. Sic Act. VII, 41. ἐμοσχοποίησαν, καὶ εὐφραίνοντο ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν. I Cor. III, 13—15. ἐκάστου ἔργον (structura, aedificium fundamento superstru-




sum, opus) φανερόν γενήσεται, κ. τ. λ. — Quibus praemissis, ad ipsam causam nostram accedamus, ipsum *legitime et bene* factorum discrimen exponamus, idoneisque rationibus confirmare studeamus.

Quae legitime facta dicimus, ea Paulo dicuntur ἔργα νόμου his quidem in locis: Rom. II, 15. τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν (Singularis pro Plurali, τὸ ἔργον τοῦ νόμου pro τὰ ἔργα τοῦ νόμου, vt v. 7. ἔργον ἀγαθοῦ pro ἔργων ἀγαθῶν), III, 20. ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ. 28. λογίζομεθα, πίσει δικαιοσύνην ἀνθρώπων χωρὶς ἔργων νόμου, IV, 2. εἰ Ἀβραάμ ἐξ ἔργων (sc. νόμου) ἐδικαιώθη; ἔχει καύχημα, ἀλλ' οὐ πρὸς τὸν Θεόν, 6. καθ' ἡμέραν καὶ Δαβὶδ λέγει τὸν μακαριστὸν τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ὁ Θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων (scil. νόμου), IX, 32. οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου, XI, 6. εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων (scil. νόμου) ἔπει ἢ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις, Gal. II, 16. εἰδότες, ὅτι οὐ δικαιούται ἀνθρώπος ἐξ ἔργων νόμου — οὐκ ἐξ ἔργων νόμου — οὐ δικαιωθήσεται ἐξ ἔργων νόμου πᾶσα σὰρξ, III, 2. ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; 5. ἐξ ἔργων νόμου ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως; III, 10. ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσὶ. Quae vero *legitime* facta dicimus, eadem etiam *recte* facta, Pauli auctoritatem sequentes. Nam ἔργα νόμου appellat etiam Tit. III, 5. ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ sc. πεποιημένα, et Rom. IX, 31. νόμον δικαιοσύνης i. e. ex usu Hebraeorum frequentissimo δικαιοσύνην νόμου, Phil. III, 9. δικαιοσύνη ἢ ἐκ νόμου. Haec de verbis. Iam vero etiam de eorum vi ac potestate.

Cum verbum ἔργων, vbi facta s. actiones significentur, modo latissime, modo strictius, modo strictissime accipiendum esse constat: quaeritur ante omnia, quam sententiam habeat subiectam iis in locis, vbi adiunctum sit νόμου. Quae quidem quaestio facile solui posse videtur, si oppositorum ratio habeatur. Ita enim intelligetur, spero, omnibus illis in locis latissime dici ἔργα, h. e. non solum cogitandas esse actiones exteriores, sed etiam interiores, iudicia animi, cupiditates, sensus, proposita, consilia. Reperiuntur autem apud Paulum *partim* nomina opposita, *partim* exempla opposita. Nomina opposita sunt Rom. IV, 7. coll. 6. αἱ ἀνομίαι et ἀμαρτίαι: quae latissime patere, nec solis actionibus exterioribus circumscribi, quis est, qui neget? Iam vero cum αἱ ἀνομίαι et ἀμαρτίαι manifeste opponantur τοῖς ἔργοις νόμου; oppositorum vero opposita sit ratio: cogitur, vt ἔργα νόμου eodem pertineant, quo

quo ἀνομία et ἀμαρτία, et ad interiores quoque animi motus, non ad solas actiones sub sensum cadentes sint referenda. Idem confirmant opposita exempla in superioribus a Paulo inde a Cap. I, 21 — III, 20. commemorata. Nam quales, quaeso, sunt ἀνομία, quales sunt ἀμαρτία, quas enarrat? Num tantum peccata crassiora dinumerat, sensibus aliorum subiecta? Nonne etiam subtiliora, sensibus aliorum subtracta? Nonne impietatem erga Deum hominesque pectori inclusam? Nonne peruersam de Deo rebusque diuinis sentiendi rationem? Nonne libidinis impuritatem? Nonne omnem iniustitiam, malitiam, inuidentiam, auaritiam, superbiam, similitatem, imprudentiam, perfidiam, prauam de facinoribus aliorum ac sceleribus laetandi consuetudinem, aliaque vitia, quae in animo resident?

Quae si ita sunt; facile fit ad credendum, adiunctum etiam verbum νόμου latissime capiendum esse, hoc est, de omni omnino lege diuina, cum naturali, tum reuelata, non vero de sola lege ceremoniali Iudaeorum: quod contextus quoque postulat orationis Paulinae. Apostolus enim in superioribus non locutus erat de sola lege Iudaeorum ceremoniali, quae est plurimorum interpretum opinio temere capta, sed de omni lege Iudaeorum scripta, ceremoniali, forensi, et morali potissimum, ac ne de reuelata quidem sola, sed de naturali etiam, omnium hominum, Iudaeorum aliarumque gentium, animis inscripta. Tantum enim abest, ut epistola ad Romanos solis hominibus christianis ortu Iudaeis scripta sit (quod viros doctos e Cap. VII, 1. extorquerè voluisse, vehementer miror, cum sit in promptu, verba γνώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ non ad omnem epistolam, sed ad illam epistolae partem pertinere, eamque ipsam ob causam adiecta esse, ut intelligerent lectores, ea, quae sequantur, non omni coetui christiano, ut aliis in locis, ita Romae etiam mixto, e conuersis Iudaeis ac Non-Iudaeis conflato, sed vni tantum eius parti scripta esse, eique vel vnice, vel plurimum certe prodesse): ut ad eos quoque data sit, qui, misso Deorum cultu, Deum verum, Patrem Iesu Christi, colere coepissent. Quatenam igitur sunt τὰ ἔργα νόμου, quae Paulus gentium animis inscripta esse ait? Num instituta disciplinae Mosaicae? Num actiones legi Iudaeorum ceremoniali conuenientes? Et qua, quaeso, cum lege pugnare tibi videntur peccata illa non solum Iudaeorum, sed aliarum etiam gentium, a Paulo diligentius exposita? Cum lege ceremoniali Iudaeorum? Ergo gentes peccare poterant



erant aduersus legem solis Iudaeis scriptam? Ergo peccata illa legi ceremoniali sunt contraria? Nonne sole clarius est, cum Paulus de Iudaeorum et gentium peccatis verba faciat, legem etiam intelligi debere eam, contra quam et Iudaei et gentes potuerint peccare, id est, naturalem et reuelatam simul, et hanc quidem potissimum moralem? Omnis omnino lex diuina cogitanda est, quocumque eam velis appellare nomine. Sicut ἔργα amplissimum habent significatum: ita etiam νόμος. Non igitur spernenda sunt ἔργα νόμου, sed extollenda. Non sunt instituta disciplinae Mosaicae externa. Non sunt actiones soli legi Iudaeorum ceremoniali consentaneae. Legitime seu recte facta sunt cogitata et sensa, verba et dicta, acta et gesta, legi diuinae, siue naturali siue reuelatae, conuenientia.

Ex quibus etsi planum est, legitime facta, de quibus Paulus loquitur, multum habere honoris, nec ea sic deprimere licere, vt christiano homine indigna, solisque Iudaeis, tironibus nempe rudioribus, relinquenda videantur; tamen ad eorum praestantiam, quam Paulus iis adiudicat, veramque dignitatem recte aestimandam haecenus a nobis disputata non sufficiunt. Maximam merentur laudem ἔργα νόμου. Summam habent dignitatem. Ad eorum praestantiam accedere potest nihil. Non virtus qualiscunque, ne virtus quidem christianorum hominum, quamuis alia omni, quae in hoc terrarum orbe reperiatur, melior sit, δικαισύνη νόμου, quam Plato τελείαν ἀρετήν dicit, haberi debet. Non quaecunque praeclare facta, ne ea quidem, quae a genuinis Christi sectatoribus proficiscuntur, legitime seu recte factorum nomine ornare nobis licet. Perfecta virtus omnibusque numeris absoluta, haec, haec sola vindicat sibi honorificum illud nomen. Haec, haec sola constat legitime seu recte factis, alia nulla. Miraris, quod sententiam propugnare audeam a communi Theologorum opinione quam maxime diuersam? Accipe rationes. Primam quidem ducō ex eo, quod Paulus manifeste docet, homines ad vnum omnes legitime factis carere. Rom. III, 9—20. „Docuimus antea, omnes Iudaeos et reliquos homines peccatores esse — sequitur, neminem habere, quo se purget, (siue sit Iudaeus, siue Non-Iudaeus), omnesque homines (siue Iudaei, siue Non-Iudaei) subiectos esse poenarum diuinarum necessitati. Nam propter legitime facta nullus homo (quicumque demum sit) pro insonte, a Deo quidem, declarari (i. e. tanquam insons tractari, a poenis diuinis liber esse) potest: cum lex diuina

diuina (omnis illa, de qua in superioribus locutus sum, naturalis et re-  
 uelata, gentibus ac Iudaeis data) ostendat, *omnes esse peccatores* (Iudaeos  
 et gentes carere *legitime factis, ἔργοις νόμου*). " Iam vero nisi Paulus  
 ἔργα νόμου intellexisset de virtute perfecta omnibusque numeris expleta;  
 nonne historiae atque experientiae, scripturae suisque ipsius decretis aper-  
 te contradiceret? Quando, quaeso, omnis e terra exulauit virtus? Ab-  
 iicienda igitur sunt insignia praeclare factorum exempla, quae littera-  
 rum monumentis consignata auctorum diuinorum humanorumque dili-  
 gentia nobis reliquit? Contemnere igitur licet vitas bonorum homi-  
 num nostra memoria commendatas, virtutisque documenta ab iis quo-  
 que edita, qui religionis christianae praestantiam non tenent? Dauides  
 igitur et Abrahamus, quos ipse nominat Paulus, nulla plane virtutis lau-  
 de digni reperiuntur? *Cornelius* igitur ille non fuit εὐσεβὴς καὶ φοβού-  
 μενος τὸν Θεόν? In nulla igitur gente reperiri potest φοβούμενος τὸν Θεόν  
 καὶ ἔργαζόμενος δικαιοσύνην? Quid? quod ipse Paulus gentes, natura  
 duce, τὰ τοῦ νόμου ποιῆν affirmauerit. Necesse igitur est, vt alia sint  
 ἔργα νόμου (virtus perfecta), alia τὰ τοῦ νόμου (virtus imperfecta), vt  
 distinguamus ποιῆν τὸν νόμον Rom. II, 13. πράσσειν νόμον v. 25, τὰ  
 δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσειν v. 26. τὸν νόμον τελεῖν v. 27. *legem*  
*perfecte seruare, omni ex parte legi conuenienter agere*, ab illa phrasi τὰ  
 τοῦ νόμου ποιῆν, v. 14. *in nonnullis partibus legi conuenienter agere,*  
*imperfectam virtutem colere.* Homines τὰ τοῦ νόμου ποιῆν, concedit  
 Paulus, τὸν νόμον ποιῆν, negat. Τὰ τοῦ νόμου, *virtutem imperfectam,* ne  
 gentibus quidem abiudicat; ἔργα vero νόμου, *virtutem perfectam,* omni-  
 bus hominibus, Iudaeis non minus quam gentibus. Quam formula-  
 rum diuersitatem ac vim non ingenio meo excogitatam esse et fictam,  
 sed veram mentique Paulinae consentaneam, partim ipsa res atque ora-  
 tionis series ostendit, partim locus similis I Cor. II, 14. 15. confirmat.  
 Ibi enim distinguit Paulus τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ (i e. doctrinae  
 diuinae partes, *indefinite*, siue omnes, siue aliquas) et τὰ πάντα sc.  
 τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ (omnes doctrinae diuinae partes, *definite*).  
 „Homo, inquit, *per religionem christianam non emendatus* (homo pro-  
 fanus, qui opinionum humanarum peruersitati pertinaciter inhaeret)  
*doctrinae Spiritus diuini partes* (vel aliquas, ipsa initia) *non probat.* (Cur  
 vero non probat?) *Stulta enim ei habetur illa doctrina.* (Cur vero sa-  
 pientiam illius doctrinae non agnoscit?) *Nec potest eam intelligere:*

B

(Cur



(Cur intelligere non potest?) quia iudicanda est sensui Spiritus diuini conuenienter (non ex opinionibus humanis, non e placitis philosophorum). Sed homo per religionem christianam emendatus (vere christianus) omnes doctrinas christianae partes (πάσαν ἀλήθειαν Ioh. XVI, 13.) recte iudicare potest, quamquam ipse a nemine (profano vel non vere christiano) recte iudicatur (habetur enim stultus, cum vere sit sapiens). “Quemadmodum igitur h. l. τὰ πάντα τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ et τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ ita distinguit, vt illud definite de omni doctrina diuina, hoc indefinite de doctrinae partibus sit capiendum: ita nostro loco ἔργα νόμου et τὰ τοῦ νόμου distincte dicit sic, vt illa locutio definite de virtute omni omnino, de virtute perfecta, de legitime factis, haec indefinite, de virtutis partibus, de virtute qualicunque, de factis aliquo modo legi conuenientibus, adhibeatur. Conferamus ea, quae Rom. II, 25—27. contra Iudaeos aliosque homines a religione christiana alienos disputantur. „Circumcisio, inquit, prodesset quidem, si legem (omnem omnino, cui circumcissione adstrictus es) seruares (cum conditione igitur loquitur Apostolus: si). Sin autem legem violas (vti violas); idem est, ac si praeputium haberes (non differs a praeputiato, qui et ipse legem suam violat. Vterque igitur peccator est, Iudaeus et Non-Iudaeus: neuter enim legem omnino seruat). Si igitur homo praeputiatum praecepta legis (omnia ipsi quidem data) seruaret; nonne pro circumcisio habendus esset (pro eo, qui faceret, quae circumcissionis facienda essent)? Et homo, qui naturale praeputium habet, nonne, si legem perfecte seruaret, te, qui scriptura et circumcissione gaudes, vt legis violatorem reprehendere possit? (Iam vero neque Iudaeo Non-Iudaeum, neque huic illum eo nomine reprehendere licet: neuter enim suam legem perfecte seruat. Etiam si uterque, et Iudaeus et Non-Iudaeus, faciat τὰ τοῦ νόμου i. e. nonnulla legi consentanea, etiam si habeat ἔργα; neuter tamen, neque Iudaeus, neque Non-Iudaeus, seruat τὸν νόμον i. e. omnia legis praecepta, neuter habet ἔργα νόμου. — Διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὃ ἀνθρώπε πᾶς, ὁ κείων κ. τ. λ. Rom. II, 1.) — Cum vero omnes careant virtute perfecta: sequitur, omnes esse peccatores poena diuina dignos, neminem esse infontem. Cum nemo sit ποιητής τοῦ νόμου, sequitur, neminem esse δίκαιον παρὰ τῷ Θεῷ Rom. II, 13. Non acquiescit iustitia Dei in virtute imperfecta, immo eum quoque poena dignum habet, qui paucioribus laborat peccatis. Ὅσις γὰρ ὅλον τὸν νόμον



νομον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἐνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος. Iac. II, 10.  
Deinde vero etiam, ἔργα νόμου *perfectam* significare virtutem, ex eo ostendere posse mihi videor, quod ipse Paulus τῶ ἔργαζομένῳ i. e. τῶ ἔχοντι ἔργα νόμου, integritatis laudem et immunitatem non tanquam χάρις, sed tanquam ὀφείλημα tribuendam censet. Rom. IV, 4. Iam finge, si placet, ἔργα νόμου significare virtutem *imperfectam*. Potestne homini legi diuinae non nisi ex aliqua parte parenti integritatis laus tribui? Et quo, quaeso, iure eiusmodi homo integritatis laudem tanquam necessariam sibi que debitam postulare potest? Contra vero, si, quae nostra est sententia, ἔργα νόμου exprimunt virtutem *perfectam*, nihil continet hic locus absurdum. Quamquam enim nulla virtus, ne perfecta quidem, mercedem a Deo flagitare potest; hoc tamen est iustitiae diuinae, suam cuique laudem tribuere, infontem habere pro fonte, infontem tractare tanquam fontem. Hoc quidem non est beneficium, sed debitum. Perfecta virtus sua ipsius natura placere Deo debet. Non potest improbare, quae sunt probanda. Non potest punire eos, qui poena non sunt digni. Iustus est Deus in iudicando, loquendo, agendo.

Quae cum ita sint: denique intelligitur et hoc, neminem vnquam legitime factorum laude ornari a Deo potuisse, nisi Iesum nostrum. Hic vnus κατ' ἐξοχήν δίκαιος dicitur Act. III, 14. XXII, 14. I Ioh. II, 1. Hic vnus, γινόμενος ὑπὸ νόμον, ἐξ ἔργων νόμου ἐδικαιώθη, ab omni quippe vitiositate, cum naturali, tum accedente, plane alienus. Hic vnus de se recte dicere potuit: τὸ ἔργον ἐτελείωσα, ὃ δέδωκάς μοι, ἵνα ποιήσω — τετέλεσται. Qui enim vitiositate naturali in virtutis studio impediuntur, tantum abest, vt virtutem Iesu, vnicam illam in suo genere, assequantur: vt bene agatur cum eiusmodi hominibus, si sint illius simulacra. Hac quidem in vita ad laudem ἔργων νόμου nemo adspirare potest. Sunt enim ἔργα νόμου, Paulo auctore, non potenda, nisi in virtute perfecta omnesque numeros habente, in virtute tali ac tanta, qualis et quanta inter homines esse quidem debebat, sed neque est, neque pro generis humani deprauatione esse potest, in ea sentiendi, loquendi, agendique ratione, qua legi diuinae omnino omni, cum naturali, tum reuelatae, plane omnique ex parte satisfit, et innocentiae immunitatisque laudem iure expectare a Deo ac postulare licet. Tanta est legitime seu recte factorum dignitas, tanta praestantia! Quantum igitur  
B 2 differt



differt mens Pauli a mente Theologorum, qui vel abiecius legitime facta extenuant, vel parum certe aestimant!

Exposita factorum prioris generis natura, dispiciendum iam est de posteriori genere, de *bene factis*.

Graece dicuntur ἔργα ἀγαθὰ pluribus N. T. locis: Act. IX, 36. αὐτὴ ἦν πλήρης ἀγαθῶν ἔργων (Genus) καὶ ἐλεημοσυῶν (Species), ὧν ἐποίει. Rom. II, 7. τοῖς μὲν κατ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ (ἔργων ἀγαθῶν, non ἔργων νόμου) — ζῶν ἀιώνιον. coll. v. 10. τῶ ἔργαζομένῳ τὸ ἀγαθόν (non ἔργα νόμου) κ. τ. λ. Rom. XIII, 3. οἱ ἀρχόντες οὐκ εἰσὶ φόβος ἀγαθῶν ἔργων. 2 Cor. IX, 8. ἵνα περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν. Eph. II, 2. Αὐτοῦ γὰρ ἐσμὲν ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, (non ἔργοις νόμου) οἷς προετοίμασεν ὁ Θεὸς, ἵνα ἐν αὐτοῖς περιπατήσωμεν. Col. I, 10. ἐν παντὶ ἔργα ἀγαθὰ καρποφοροῦντες. 2 Theff. II, 17. σπεύξατε ὑμᾶς ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. 1 Tim. II, 10. ὁ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελόμεναις Θεοσεβείαν, δι' ἔργων ἀγαθῶν. V, 10. εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησε. 2 Tim. II, 21. εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν ἡτοιμασμένον. III, 17. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθόν ἐζηρητισμένον. Tit. I, 16. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθόν ἀδόκιμοι. III, 1. πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθόν ἐτοίμοις. Ebr. XIII, 21. καταρτίσατε ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. — Quae autem bene facta dicimus, ea quoque honeste facta dicuntur, graece ἔργα καλὰ. Matth. V, 16. ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα. XXVI, 10. ἔργον καλὸν ἐργάσατο εἰς ἐμέ. coll. Marc. XIV, 6. 1 Tim. V, 10. ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη. v. 25. τὰ καλὰ ἔργα πρόδηλα. VI, 18. πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς. Tit. II, 7. τύπον καλῶν ἔργων. v. 14. ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. III, 8. καλῶν ἔργων πρόστασθαι. v. 14. καλῶν ἔργων προῖτασθαι. 1 Pet. II, 12. ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες. Ebr. X, 24. ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων. — Praeterea bene seu honeste facta simpliciter dicuntur ἔργα (quo nomine, tanquam genere, omnis virtus, qualiscunque demum, continetur) Iac. II, 18. ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα Act. XXVI, 20. καινότης ζωῆς Rom. VI, 4. ἀναστροφή καλὴ 1 Pet. II, 12. ἀγία ἀναστροφή 2 Pet. III, 12. ὑπακοή εἰς δικαιοσύνην Rom. VI, 16. ἀρεταί Phil. IV, 8. Θεοσεβεία 1 Tim. II, 10. εὐσεβεία 1 Tim. IV, 8. λογικὴ λατρεία Rom. XII, 1. ἀγιωσύνη 1 Theff. III, 13. δικαιοσύνη 1 Ioh. III, 7. ὁ καρπὸς τοῦ πνεύματος Gal. V, 22. καρπὸς δικαιοσύνης Phil. I, 11. καρποὶ ἀγαθοὶ Iac. III, 17. πνευματικαὶ θυσιάαι 1 Pet. II, 5.

vt taceam de aliis nominibus, quibus *bene* facta appellantur. Opponuntur iis ἔργα ποιηρὰ Ioh. III, 19. ἔργα κακὰ Rom. XIII, 3. ἔργα σαρκῶς Gal. V, 19. ἔργα ἀκαρπια Eph. V, 11. ἔργα νεκρὰ Ebr. VI, 1. ἔργα ἀνομια 2 Petr. II, 8. ἔργα τοῦ διαβόλου 1 Ioh. III, 8. ἔργα ἀσεβείας Iud. v. 15. καρποὶ ποιηρῶν Matth. VII, 18. vt alia nomina opposita silentio praetermittamus.

Quemadmodum verò ἔργα νόμου latissime dicuntur: ita etiam ἔργα ἀγαθὰ. Essentne digna, quae καρποὶ πνεύματος, πνευματικῆς ζωῆς, λογικῆ λατρείας, εὐσέβειας, θεοσέβειας, ἀγίας ἀναστροφῆς appellarentur, si in solis actionibus exterioribus ponenda essent? In animo quoque, ac in eo quidem praecipue, quaerenda sunt. Iesus vnctionem illius mulieris non tam propter hanc ipsam actionem, quam potius propter animi consilium, propter amoris et grati animi testificandi studium καλὸν ἔργον appellat. Nisi καλὰ ἔργα, quae sectatores suos ostendere iubet, deriuanda essent ex animo pio, sincero, veluti fonte puriore; quos, quae-so, iure contemneret potuisset ἔργα Pharisaeorum, suisque cultoribus meliorem δίκαισύνην commendare? Non tantum *materia* virtutis, quam schola dicit, sed quoque eius *forma* spectatur. Hanc potissimum Iesus virget, hanc potissimum virgent Apostoli. Vid. Gal. V, 22. ὁ δὲ καρπὸς τοῦ πνεύματος ἐστὶν ἀγάπη, χαρὰ, εἰρήνη, μακροθυμία κ. τ. λ. quae virtutes profecto animo insunt. Sed de hoc satis superque constat.

Illud potius animaduertendum est, facultatem *bene* seu *honeste* agendi, ex vsu loquendi sacro, solis hominibus christianis propriam esse. Aliorum hominum quamuis praeclare facta nusquam, ne vno quidem loco, ἔργα ἀγαθὰ seu καλὰ dicuntur. Immo nominatim docet Paulus, facultatem *bene* seu *honeste* agendi nos soli religioni christianae atque emendationi diuinæ debere, Eph. II, 10. aliosque homines beneficio illo carentes ἔργα ἀγαθὰ exercere non posse. Neque id esse debet mirum. Cum enim *bene* seu *honeste* facta, quorum studium christianis hominibus tantopere inculcatur, proficisci debeant ex fide, quae Iesu Christo, Domino, habetur, atque ex amore erga hunc Dominum, Dominique Patrem, nobis Iesu Christi causa propitium: per se clarum est, eos, qui neque fidem illam habeant, neque hunc amorem sentiant, *bene* seu *honeste* faciendi facultate, de qua nos disputemus, prorsus carere. cfr. Rom. V, 5.



VIII, 35. 37. 39. Gal. II, 20. 1 Ioh. V, 5. Quamquam duriores locutionem eorum, qui gentium virtutes splendida peccata appellarunt, non omnino probo; tamen, cum illam ipsam virtutis christianae praestantiam respexisse videantur, valde dubito, an a nostris hominibus, qui materiam potius virtutis spectant, quam formam, recte intellecta sit, tantamque mereatur castigationem, quanta vulgo eam afficiendam putent. Lubenter concedo, posse etiam alios homines, qui non sint christiani, bene et honeste, utiliter et cum laude, facere multa, eorumque facta hactenus, significatu quidem vulgari, dici posse ἔργα ἀγαθὰ, ἔργα καλὰ; Deo propter Christum, seruatorem communem, probata; hunc vero significatum scripturae esse, atque illorum bene ac honeste facta a bene honesteque factis christianorum hominum nihil differre, quis est, qui hoc concedat?

Neque vero minus animaduersione dignum est, illa bene facta, quae christianis hominibus propria esse docuimus, quamuis omnibus aliis praeclare factis multo sint praestantiora, tamen et ipsa laborare imperfectione. Quamquam enim christianae virtutis cultores tandiu quidem, quandiu hoc nomine digni sunt, οὐ ποιοῦσι ἁμαρτίαν, καὶ οὐ δύνανται ἁμαρτάνειν 1 Ioh. III, 9.; tamen ἔχουσι ἁμαρτίαν 1 Ioh. I, 8. Quae quid sibi velint, egregie explicat Paulus Rom. VII, 14—25. „Scio, legem non nisi ab iis recte seruari posse, qui a vitiositate naturae liberi sint (qualis fuit Iesus Luc. I, 35. hanc ipsam ob causam filius Dei dicendus, velut Adamus prior coll. Luc. III, 38.); me vero etiamnum (etiam post conuersionem meam) vitiositate naturae laborare, tanquam seruum ei venditum (non igitur sponte mea). Quod enim sic (tanquam seruus venditus) facio, non probo. Non enim facio, quod volo, sed quod odi, hoc facio. Cum vero id faciam, quod facere nolo: probo legem, quam non ignoro honestum spectare. Iam vero (conuersus) non amplius (vt ante conuersionem) ego illud facio (animi mei voluntate et proposito); sed vitiositas, quae in me quasi sedem fixam habet (quae perpetuo mihi, etiam conuerso, inhaeret). Scio enim, in me, hoc est, in corpore meo, aliquid habitare, quod bonum non sit (in corpore, inquam: nam in animo habitat Spiritus Christi coll. VIII, 9.). Quamquam enim voluntas mihi adest; tamen honestum, quod volo, perficere non possum. Non enim bonum facio, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc exerceo. Cum vero faciam, quod ego nolim: non amplius ego illud

illud

illud perficio, sed vitiositas in me habitans. Experior itaque, mihi honestum e lege facere volenti adesse malum. Etsi enim lege Dei secundum interiorem mei partem (secundum animum) delector; sentio tamen aliam vitiositatis legem in membris meis, repugnantem legi diuinæ, quam mens mea probat, eandemque vitiositatem in membris meis imperantem me sibi tanquam captiuum subiicere experior. O me hominem miserum! Quis me liberabit ab hoc corpore mortali (ab hoc tyranno)? Gratias ago Deo, quippe qui per Iesum Christum, Dominum nostrum, me liberabit (meque aliquando corpore immortalis et spirituali ornabit). Sic igitur ipse ego animo quidem seruo imperanti Deo; corpore vero imperanti vitiositati. (Sic igitur virtus mea christiana imperfecta est.) Haec Paulus de sua ipsius virtute. At quantus vir! Quantus verae virtutis christianae cultor, quem, nescio, an, qui de perfectione virtutis christianae immodestius gloriantur, vnquam sint, non dicam, superaturi, sed assecuturi! Adeo consentientem habet illa ingenua confessio experientiam, vt, qui eius veritatem in dubium vocare vel negare audeat, consulto errare ac semetipse aliosque decipere velle videatur.

Quae vero virtutis christianae imperfectio cum tanta sit, vt nostrae *εργα αγαθα* seu καλα per se Deo placere non possint; tamen propter meritum Christi, eiusque satisfactionem probantur, ita, vt nihil poenae diuinæ nobis metuendum sit, vt etiam, quae est singularis Dei benignitas, sperare possimus praemia aeterna. Hoc idem Paulus Rom. VIII, 1 — 4. clarissime docet. Poterat aliquis Apostolo obiicere haec: „At tu tibi non constas. Antea enim docuisti, iis, quibus a benignitate diuina peccata condonata sint, non amplius licere peccare. Iam vero tuo ipsius exemplo ostendisti, te multis modis peccare, virtutemque christianam admodum esse imperfectam, multisque peccatis contaminatam. Nonne sic iustificationis beneficium, quod tantopere laudasti, amittitur? Nonne, cum, accepta peccatorum condonatione, denuo peccemus et ad mortem vsque peccaturi simus, denuo poenarum diuinarum necessitati subiicimur, a qua iustificationis beneficio eramus liberati?“ Huic igitur Paulus ita respondit: „Probe fecernenda sunt peccata, quae animo deliberato et lubenti fiunt, ab iis, quae, inuito animo et repugnanter, a corporis vitiositate naturali proficiscuntur. Illa non fert impunita Deus; haec fert impunita, quippe quae pro punitis habet, Iesum enim



enim, filium suum, hominem innocentem, vereque integrum vitae scelerisque purum, virtute praeditum plane singulari legibusque suis omnibus omnino respondente, hunc talem Iesum victimam voluit esse pro totius generis humani peccato omnino omni, hac quidem lege, ut omnes, qui non modo veniam peccatorum ante commissorum impetrare, sed in posteram quoque virtuti constanter operam dare serio velint, partim illam ipsam peccatorum veniam accipiant, partim vero etiam, quamquam pro naturae vitiositate leges diuinas omnino explere non possint, et virtutis simulacra potius, quam virtutis exempla dici mereantur, nihilo tamen minus integritatis virtutisque perfectae laudem et praemia deportent. Vertamus ipsa verba graeca, ut appareat, veram Pauli sententiam a nobis expressam esse. „*Eis igitur, qui cum Christo Iesu (tanquam nouo marito coll. VII, 1 — 6.) copulati sunt, nulla iam poena metuenda est. Nam doctrina euangelii efficacissima a Christo Iesu condita liberauit me a lege peccata augente et mortis poenam denunciante. Cum enim lex propter corporis nostri vitiositatem adeo infirma esset, ut perfectam virtutem in nobis efficere non posset: Deus, qui filium suum, corpore vitiositatis speciem habente (vere autem vitiositatis experte) indutum, et quidem tanquam victimam pro peccato (omni omnino) misit, peccata, quae a corporis vitiositate proficiuntur, ita puniuit, ut (hac ratione, cum eiusmodi peccata, quae a corporis vitiositate repetenda sint, imputare nobis nolit) perfecte seruari possint legis praecepta a nobis, qui non corporis vitiositati indulgemus, sed animi emendati decreta sequimur.*“ Si igitur virtus christiana perfecta dicenda est, non nisi haecenus dicenda est, quatenus peccatorum e vitiositate naturae originem ducentiam nulla ratio a Deo habetur, ipsique tanquam perfecta propter Christum probatur. Sola enim si spectatur, imperfecta est et manet ad mortem vsque, quantacunque demum capiat incrementa. Itaque etiam dubio caret, nullam ei inesse vim merendi vel mercedem vel praemia, cum talis vis ne perfectae quidem virtuti insit. Quicquid bene honesteque facimus, Deo debemus, Deique beneficio atque auxilio praestamus, nobis multum, Deo vero nihil utilitatis afferentes.

Sunt igitur, ut paucis omnia complectamur, bene honesteque facta, quae libri diuini commendant, in virtute christiana ponenda, imperfecta illa quidem multisque peccatis contaminata, attamen sincera Deoque probata,

probata, in ea hominis christiani sentiendi, loquendi agendique ratione, quae, quamquam legi diuinae non plane omnique ex parte satisfacit, tamen, cum ex fide atque amore nascatur, perfecta Deo habetur, itaque propter Christum placet, ut praemiis eam ornare benignissime velit.

Quae omnia etsi de factorum utriusque generis discrimine satis perspicue disputata mihi videntur; singulas tamen eius partes velut in tabula depingere, maiorisque perspicuitatis causa vel repetere vel explicare liceat. Sunt autem haec: 1) *Legitime facta* continent virtutem *perfectam*; contra vero *bene facta imperfectam*. 2) *Legitime facta* merentur integritatis laudem et libertatem a poenis diuinis sua ipsorum natura; *bene facta* sua ipsorum natura non merentur. 3) *Legitime facta* sunt *vnus Christi*, qui legi diuinae *omnino* satisfecit; *bene facta* sunt *omnium hominum vere christianorum*, qui legi diuinae non quidem *omnino*, attamen *ex parte*, satisfaciunt. 4) *Legitime facta* supponunt libertatem a vitiositate naturae; *bene facta* naturae vitiositatem non tollunt. 5) *Legitime facta* e solo Dei amore proficiuntur; *bene facta* ex amore Dei et Christi.

— Quemadmodum igitur Cicero τὸ κατόρθωμα, officium *perfectum*, *rectum*, et κατῆκον officium *medium*, *commune*, distinguit: ita nos *legitime* s. *recte*, et *bene* s. *honeste facta*, discernimus. Vid. Cic. de Off. I, 3. III, 3. Eodem modo liceat etiam meae sententiae diuersitatem ante oculos proponere.

1) Vulgo opinantur, *legitime facta* dici de actionibus legi diuinae, quocunque demum modo, consentaneis, quae vere fiant ab hominibus vel renatis, vel non renatis, vel christianis, vel non christianis; ego vero statuo, *legitime facta* dici de virtute perfecta, eaque, soli Iesu propriam, ne in vno quidem homine alio reperiri. 2) Vulgo opinantur, *legitime facta* esse instituta disciplinae Mosaicae, vel legi Moysi rituali conuenientia, quae solis Iudaeis fuerint iniuncta; ego vero statuo, *legitime facta* esse virtutem omni legi diuinae, cum naturali, tum reuelatae *omnino* conuenientem, cuius vinculo non soli Iudaei, sed omnes homines teneantur. a) Vulgo opinantur, *bene facta* esse quoque eorum hominum, qui a religionis christianae praesentia sint alieni, Iudaeorum et gentium; ego vero statuo, si usum loquendi scripturae seruare velimus, solis christianis hominibus ea attribuenda esse. b) Vulgo opinantur, duriorum locutionem eorum, qui praeclare a gentibus facta *splendida peccata* dixerint, prorsus esse reiiciendam; ego vero statuo,

C

tuo,



tuo, eam quodammodo ferri posse, atque adeo multa a christianis hominibus praeclare facta *splendida esse peccata.*


Sed satis multa, *Cives Optimi*, pro exiguis finibus, quibus munus publice inuitantis mihi iniunctum maiorum auctoritas et consuetudo circumdedit: quinquam sunt in promptu, quae de usu disputationis nostrae *exegetico, dogmatico, morali, homiletico*, subiici posse videantur. Hoc unum addere licet, discrimen illud nostrum, si verum sit, unumquemque *Vestrum* facile adducere posse ad sensum orationis angelorum opus Christi salutare pie collaudantium, quae, nescio, an ab omnibus interpretibus recte capiatur Luc. II, 14. *δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἘΝ ἈΝΘΡΩΠΟΙΣ ἘΥΔΟΚΙΑ*, nec non vocis Dei Patris coelitus demissae III, 22. *σὺ εἶ ὁ υἱὸς μου, ὁ ἀγαπητὸς, ἘΝ ΣΟΙ ἩΥΔΟΚΗΣΑ.* Si Christum amatis; *Vos* Deus amat. Ioh. XVI, 27. Si, quae Iesus legitime et recte fecit, gratissima mente colitis; Deus, quae *Vos bene et honeste* facitis, propter Iesum non modo non spernet, sed etiam, quae est ipse benignitas et fides, praemiis afficiet. *Valete, Vestrumque bene honesteque* faciendi studium hoc etiam tempore demonstrate et confirmate! P. P. in Vniuersitate litterarum Vitebergica d. XXV. Decembr. A. R. S. c1616CCXCII.

---

VITEBERGAE


LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL


- 24, *Doquintus, quatenus disciplina religionis  
et theologiae christianae pendeat ab historia  
Iesu Christi. Auctore Ammon. Göttingae*
- 25, *Variarum de origine fessu sententiarum experientis  
Göttingae.*
- 26, *Botanicae de futura corporum exanimatorum  
inspiratione, autelansum historia. Auctore  
Staudlin. Göttingae.*
- 27, *Comment. de legis Moysiacae momento et  
ingenio, collectione et effectu. Auctore  
Staudlin. Part. I. Göttingae 1796.*
- 28, *Sectio II.*
- 29, *De religione naturali publica. Auctore Staudlin  
Göttingae. -*
- 30, *Declarantur diversitatis linguarum ex  
traditione Semitica Origines. Auctore Cöllern  
Göttingae 1788.*
- 31, *Deu zur Verherrlichung des Jesu Christi  
verfasset von Dr. Ammon. Göttingae 1795.*
- 32, *Ueber die Aufklärung des inneren Menschlichen  
innere Mystiken mit dem moral. Mod. in  
Säulischen Schriftstücken von Dr. Ammon.  
Göttingae, 1796. -*
- 33, *Von dem Ursprung und der Beschaffenheit  
menschlichen geistl. Affektions. von Dr. Ammon,  
Göttingae, 1797. -*











II

Salom. 9, 1.), alma mundi conditrix, hominumque  
 Prov. 8, 31. Sap. Sir. 24, 6 f. Ioh. 1, 5.), post multos  
 osque irritos mortalium erudiendorum conatus (Sap.  
 ), in terra Israelitica fixit pedem (κατεσκηνωσε v. 8.  
 ), humanamque sibi Iesu Christi formam induit. 'O  
 ἐγενετο: diuina sapientia inter Iudaeos surrexit,  
 o vnita. Praeter moralem istam diuinae sapientiae  
 nem vix opus erat, vt alia historiae I. C. primordia  
 aret, quamuis accurate satis et sine vllis traditionum  
 de illis exponere potuisset.<sup>16)</sup> Eandem viam in-  
 dius Paulus, qui diuina Messiae praedicata colli-  
 tenus a Ioanne differt, vt in sapientiae, quam sum-  
 en in Messiam transfudit, descriptione non Iesaiam,  
 biorum auctorem sequatur, quare factum est, vt  
 rimum a Deo creatum (πρωτοτοκον πασης κτισεως  
 ) esse adfirmet, quum de sapientia idem contendat  
 v. 8, 22. קנני (ἐκτισε Deut. 32, 6.), רכזי רכזי  
 וסמא). Ioannes autem, spiritum sapientiae inter  
 Dei attributa referens,<sup>18)</sup> τον λογον vere Θεον, hunc-  
 ενσαρκωθεντα esse adferit.<sup>19)</sup> Plura decerpere ex  
 historia

HERDER *vom Erlöser der Menschen*, p. 60 sqq.

OPPE ad Rom. IX, 5.

ICHORN l. c.

dam hanc in rem iam bene disputata videas in cel. HEZELII  
*Schriftforscher*, tom. II. p. 549 sqq. De discrimine Christo-  
 oannis et Pauli, quod hic innuere tantum licet, alio loco co-  
 sponposituri sumus.

35.  
3  
3  
31.  
29.

